

inorum pontificum, canones conciliorum, decreta sacrarum congregationum, quibus addi possunt consuetudo, jus civile et jus naturale. Cf. n. 16.

**8. Scripturæ Veteris Testamenti multum inser-
vinunt** ad illustranda quædam capita juris, nam Ecclesia nonnullas leges Veteris Testamenti assumpsit ad providendum dignitati clericorum et majestati cultus publici, et S. Patres sæpe invocarunt textus Veteris Testamenti in explanatione harum dispositionum juris, quamvis non ignorent partem ritualement et judicariam legis mosaicæ abrogatam fuisse. Scripture Novi Testamenti sunt, vero sensu, fons juris canonici, siquidem continent leges a Christo latas quæ sunt fundamentum disciplinæ ecclesiasticæ. Quæ ad jus publicum pertinent, scilicet de fundatione Ecclesiæ, de institutione ecclesiasticæ potestatis, ea omnia de Novo Testamento sumuntur. De jure privato vix quidquam tractatur quod ex sacris litteris erui, confirmari et illustrari non possit circa obligationes clericorum et aliorum fidelium, Prælectiones Juris Can. Sti Sulpicii, vol. I, n. 7.

**9. Traditio in genere est doctrina non scripta sed
verbis tradita.** Traditiones, prout hic sumuntur, sunt quædam doctrinæ Christi, Apostolorum vel antiquorum presulum, quæ a primis auctoribus fuerunt traditæ.

Traditiones sunt vel divinæ vel humanæ; divinæ sunt illæ quas Apostoli ex ore Christi susceperunt: tales sunt eæ quæ spectant ad materiam et formam sacramentorum. Traditiones divinæ sunt profecto summæ auctoritatis in Ecclesia, cum habeant Deum auctorem. Traditiones humanæ sunt illæ doctrinæ et praxes quæ ab Apostolis, rectoribus ecclesiarum, vel ab eorum primis successoribus, originem duxerunt: nude traditiones humanæ possunt esse apostolicæ vel ecclesiasticæ.

10. Jus canonicum originem trahit ab Apostolis qui ad Ecclesiam gubernandam pluries coadunati sunt et